



## **Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo**

**Zype, Frans van den**

**Antverpiæ, M. DC. XLV.**

Resp. I. Non sunt extinguenda monasteria leprosis seruienda, etsi pauci aut nulli nunc sint, aut non approbati Ordinis arguantur; nec bona illorum alio diuertenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

in favorabili dispositione secundum ea quæ supra diximus, diuersimodè censeri possent, quod non raro accidere etiam docet Euerard. d. loco.

## De Regularibus.

## RESPONSVM XIV.

*Mortuo Abbate an Conuentus nouitios ad professionem recipiat?*

**Q**uoniam Concilium Trid. s. 25. de regular. c. 16. finito tempore nouitiatus habiles nouitios admitti, inhabiles eijci voluit vacante Abbatiali Sede, & finito nouitiatu, Conuentus B. Ordinis S. Benedicti nouitios ad professionem admittit, eamque excipit: quæritur an validè?

Non nisi  
ius habeat  
communi-  
ter cum  
Abbate id  
aliàs fa-  
ciendi.

*Si ad solum Abbatem, inquit Bonifacius VIII. in c. fin. de regular. in 6. pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit nouus monachus à conuentu creari: alius poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque, consonans ratio est in c. 2. X. ne sed. vac. c. vn. eod. in 6.*

Benedicti regula c. 68. regimen monarchicum in suo Ordine esse voluit. *in Abbatibus, inquit, arbitrio pendere ordinationem monasterij. quamquam consilium adhiberi velit in multis: præsertim in grauioribus. de quo rectè Haftenus Dissuis monast. lib. 3. tract. 5. disq. 6.* ideoque rectè is consilium in receptione nouitij suadet, tametsi in professione etiam exigit consensum Conuentus, seu maioris partis; de iure, & communi sententia: quam exactè discutit Mirand. in Man. p. 1. g. 15. art. 2. non tamen secundum verba Regulæ: quæ solum consilij meminit. adeoque ad solum Abbatem creatio monachorum hic spectare videbitur: esto consilium adhibere debeat.

Quid si per consuetudinem, statutum, priuilegium, etiam adhibe-

re debeat consensum? & videtur si ad solum Abbatem spectet creatio monachorum, licet de eorum consensu & consilio, nihilominus illo mortuo auctoritatem non tranfire in Capitulum. *Ioan. Andree in d. a. fin. vt non idem sit electionem communiter collegio cum Abbate competere, vel ad Abbatem spectare, quamuis de consensu collegij. vt quamuis acta Abbatis sine consensu conuentus non valent. c. ea noscitur X. de his que sunt à prelat. sine consensu. cap. tamen non tribuit ille consensus ius communis electionis. d. c. vn. 4. cum vero in verb. consilio sui Capituli vel assensu, cum etiam aliàs non succedat Capitulum in iura Prælati, nisi iure expressum. c. 2. in verb. cum nosquam videatur cautum in iure X. ne sed. vac.*

Nisi ergo conuentus B. Specialem habeat consuetudinem, statutum, seu priuilegium creando monachos, vacante Sede Abbatiali, non valida erit professio, nec mouere eum debuit d. c. 16. de regular. Conc. Trid. quod compellat superiores, non conuentus: & casum Sedis vacantis dispositioni iuris relinquit, dum aliud non exprimit.

## De religiosis domibus.

## RESPONSVM I.

*Non sunt extinguenda monasteria leprosis seruientia, etsi pauci aut nulli nunc sint, aut non approbati Ordinis arguantur; nec bona illorum alio diuertenda.*

**D**ecretum Episcopi, quo bona monasterij leproforum applicuit nosocomio, quali in vniuerso Concilij Trid. s. 25. c. 8. nec cum verbis congruit; nec cum mente Concilij, nec cum iuris ratione.

Non cum verbis, quia loquitur decretum d. c. 8. de personis ecclesiasticis, beneficia possidentibus, vel

vel hospitalia per modum beneficij in commendam, administratio- nem aut quemcumque titulum, inquit, *vers. illis vero & vers. quod sibi- dem proximo hospitalia hæc*, inquit, scilicet sic possessa, & *vers. itaque si prædicti omnes*, qui administratio- nem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, inquit: iterum priuari possint, & *vers. & prædicti ni- hil minus nec administratio*, inquit, seu gubernatio huiusmodi locorum vni, & eidem persona ultra triennium deinceps committatur: quæ non congruunt regularibus.

3. Quinimo Clementina quia con- iungit de religiof. dom. d. c. 8. & f. 7. c. 15. innouata, & iuxta quam exerceri iubet d. c. 8. & 15. hospitalitatem præscriptam, (quæ adeoque illis decretis inest, vt relatum referenti), disertè excipit ab huiusmodi dispositione: *hospitalia*, inquit, *militarium Ordinum aut religiosorum etiam aliorum: ad qua præmissa*, inquit, *extendi minimè volumus*. eademque clementina alios administratores hospitalium in *vers. illi etiam com- parat tutoribus & curatoribus*, & eorum instar se gerere iu- bet: religiosorum autem *hospita- lium*, inquit, *rektoribus man- damus, vt in illis secundum suorum Or- dinum instituta & antiquas obseruan- tiis providere pauperibus, & hospitali- tatem debitam in illis tenere procurent*. adeoque huius loci administratio secundum illius institutionem, & antiquam obseruantiam dumtaxat, exigenda est: nec mutandum quod certam semper habuit inter- pretationem. *l. minime. D. de legib.* & si de legis huius interpretatio- ne quærendum esset, vsus nunc & consuetudo 70. annorum post Conc. Trid. lapsorum optimus il- lius decreti, regulæ, & instituti huius domus, interpret esset cen- sendus. *l. si de interpretat. D. eod.* qui numquam triennales tutorum in- star, aut administratorum, aut be- neficiarios possessorum habuit, sed præfectam monasterij, & offi-

ciales monasticos.

4. Iterum d. c. 8. non dicit bona hospitalibus auferri, & alijs dari, sed fructus in alium vsu conuer- ti: vt videri possit significare non perpetuam diuersionem, sed temporalem: dum similes perso- næ non reperiuntur. veluti pauci hîc nunc sînt leprosi, imò cesset lepra; quis fideiussert in futurum? cum fundatores leprosis perpetuò futuris prospectum voluerint. nec desunt sanè dum passim vbique mendicant; si tam laboretur illis per compita colligendis, quàm bonis aliò distrahendis. d. autem c. 8. obtinet tantù cù ij, pro quibus quid institutum est, non reperiuntur in- quit. Id quod iuuat quod d. c. 8. vñ proximù substitui velit, *qui pro loco*, inquit, *& tempore utilior sit*: tempo- ra autem variantur, & emergere possunt nunc huiusmodi morbi; nunc euanescere: nunc his proximi: eoque debere videantur se- cundum temporis varietatem di- uersiones fructuum variari.

5. Quid ni & eò respicere creda- mus, quod Ordinario cum duo- bus de Capitulo hæc diuersio com- mittatur? tanquam temporaria & minoris momenti: alioquin in per- petua alienatione totius Cap. nulli interuentio requireretur. *tot. tit. de his que sunt à prelati sine consensu Capis. tot. tit. de reb. eccles. non alienand. Trid. f. 24. c. 15. f. 25. c. 4. vbi & Capitula generalia, & Synodi exi- guntur in huiusmodi decretis per- petuis.*

6. Denique mandat d. c. 8. d. hos- pitalitatem exerceri *ex fructibus ad id deputatis*: non itaque per auersio- nem omnes auferre, sed deputatos ad hospitalitatem dumtaxat: adeo- que primordiales tantùm, & lepro- sis relictos, dum illis adhuc per fa- mulos & ancillas seruiretur; non postquam mutatus est primæuus status; & an. 1220. institutus ibi re- gularis: postquam religiosi vtrius- que sexus patrimonia sua, & dotes eò intulerunt: aliaque legata via  
P 4 illis

illis relicta; & per Pontifices *illis*, & per illos huic domui confirmata sunt: ut loquuntur diplomata. sed examinanda hæc omnia forent, & excutiendi omnium tituli; non abripiendum, quod in templum & sacerdotem relictu fuit, (nam & illud sibi struere, ac hunc dotare leprosis permissum fuit, c. 2. X. de eccles. adificand.) quod in vsus regulares collatum, legatum, aut quomodocumque quaesitum. nam de genere prohibitorum est pias voluntates extremae hominum elogia sine necessitate immutare. & vix sine Sedis Apostolicæ auctoritate permissum. d. clem. quia contingit. d. c. 4. Conc. Trid. s. 25. d. c. 15. s. 24. c. 6. r. 22. sed fructus tantum deputati ad hospitalitatem, cum illius generis pauperes desunt, diuerti posse videntur. d. c. 8. f. 25.

Quoad si tituli non apparent, alijs tamen modis intentionem diuerti volentis probari oportet. famam saltem, aut aliam verisimilem præsumptionem: aut saltem fieri æstimationem congruam. ut d. c. 12. X. de testam. c. sacerdotes. 12. q. 4. c. Statutum. 18. q. 1. c. in præsentia de probat. authent. ingressi. C. de sacrosanct. eccles. quamquam & rectius dici possit postquam bona omnia istis religionis per Pontifices, ut diximus, confirmata sunt, illis, inquam, & per illos isti domui, cessare veteres titulos, religionis ipsis bona confirmata esse, eorumque domui per ipsos: eoque auferri non posse: sed eos titulos penes domum retinendos, hospitalitatem leprosis in ea exhibendam; aut, si & eo exteudatur, itidem morbidis lepræ proximis: ut non sunt omnis generis ægri, qui in nosocomio excipiuntur.

8.  
Aut me.  
re?

A mente etiam Concilij Trid. alienum esse Episcopi decretum ex eo liquet; quod Concilium d. c. 8. primò monet omnes beneficiorum qualiumcumque possessores, hospitalitatem exerceant, quantum per eorum prouentus licebit; tanquam mag-

noperè à Patribus commendatam: illos autem qui hospitalia possident quocumque titulo, cogit etiam per censuras, ut bona in eam causam relicta in eandem expendant: totaque dispositio tam d. c. 8. s. 25. quam c. 15. s. 7. Conc. Trid. quam d. Clementinæ in id fertur, vno quidem verbo d. c. 15. ut hospitalia fideliter, & diligenter gubernentur, pluribus d. c. 8. & d. clem. ad quam vterque Concilij locus se refert. vnde rectè S. Cong. Interp. Conc. censuit in hæc verba, In hospitalibus in quibus non habentur laborantes proprio morbo, iuxta institutionem hospitalis, licet ordinentur accipendi proximiori morbo laborantes, iuxta verba Concilij: non tamen eiciendi sunt, si qui pauperes diuerso morbo laborantes, aut alij miserabiles recipiantur, cum eorum mens Concilij (nota fuerit) prouidere, ne qui possident hospitalia, omnes fructus in vsus suos conuertant; sed per textum quod non inueniantur inprimis secundum propriam institutionem hospitalis. hæc mens vera Concilij est; non sub eo prætextu monasteria destruere. sed illa excipit clementina à communi dispositione. ita tamen ut hospitalitatem non minus velit obseruari; sed mandet ut in illis (nota non foris, non alibi) secundum suorum Ordinum institutionem, & antiquas obseruantias, prouideri pauperibus, & hospitalitatem debitam in illis (iterum nota domesticam) mereri procurent. Clementinam innotuit Concilium Trid. adeoque accipiendum est secundum sententiam Clementinæ inherentem, quomodo modum generatim leges antiquæ obtinent, quatenus expressis verbis non fuerint derogate.

A iuris ergo etiam ratione alienum est istiusmodi decretum. de quo paulo latius est dicendum. fauent canones quam maxime regularibus institutis.

Huiusmodi enim ecclesiarum, aut congregationum secularium, qualis hic initio fuit, mutatio in regularem ab Episcopo iure per-

mittente fit, saltē sine præiudicio oneris rebus per fundationem primæuam impositi. *c. si Episcopus. 112. q. 2.* Imò collegæ per se possunt regulam assumere, & facere ecclesiam suam, & congregationem regularem *c. cum dilect. X. de his que vi si Episcopus*, inquit, *vnam de parochianis ecclesijs suis monasterium dicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter congregatio riuat, hac de consensu Concilij sui habeat licentiam faciendâ.*

Et ad res pergens, qui etiam, inquit, *si de rebus ecclesijs pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum ecclesie non exhibeat, eidem loco donauerit, sit stabile. rei enim bona statuendæ sanctum Concilium dat consensum.*

Bona res est vita regularis. eoque per illius susceptionem cessat cuiuscumque bonæ rei votum. *c. scripturae. X. de vot.* non permittit tamen Sabarella in *d. Clem. quia contingit*, relictum ad certum vsum pium in monasterium mutari: quia vnusquisque in suo sensu abundat. de quo vt nihil dicatur, quando fundatio effectum fortiri potest, tamen iuxta *c. nos quidem. X. de re. fam.* quando non potest, rectè succedit religio in locum alterius piæ causæ. ideoque sicut bona, exstantibus leprosis, pro leprosis relicta non debent in alium vsum conuerti, quia vltima voluntas pro lege seruanda est. *c. vltima. 13. q. 2.* sic illis deficientibus nulli fit iniuria, si illa cedant religiosis, quod *detrimentum*, inquit *d. c. si Episcopus, ecclesia non exhibet, si eidem donauerit, sit stabile*: at hic exhibitæ sunt non tantum donationes Episcopi, sed etiam confirmationes diuerforum S. Pontificum: *bona vobis*, inquit, *& per vos domus vestra confirmamus.*

Eoque minus cuiquam iniuria fieri censetur, quod ex summo iure deficientibus ijs, quibus relictum est, id quod relictum est, caducum fiat: sed ex benignitate legis à caducitate liberatur, & in aliam piam causam vertendum est. *gloss. in d. c. nos quidem in verb. in loco.* Id quod

tamen fit ex sacra ecclesiæ politia, & officio Episcopi, non actione quapiam alicui competentis, vt nulli speciatim ius quæsitum fit, aut iniuria fiat, vt dictum est. Cæterum cum iure veteri vaga essent illa Episcoporum arbitria, & deliberatio, in quam aliam piam causam verterent; *l. legatum. 16. D. de vsuf. legat.* determinauit Concilium Tridentinum *d. c. 8. f. 25* proximorem vsum, pro loci, & temporis ratione: quibus scilicet casibus liberum erat Episcoporum arbitriū, vt non est quando in eum casum iam prouidit fundator. *d. c. 8. f. 25. vers. nisi forte.* vt non est etiam in monasticis hospitalibus *d. clem. quia & per pramissa.* & in re & verbis coniunctis, qui quantisper reperiuntur cessat *d. c. 8. vers. Quod si hospitalia.*

Quemadmodum literis hic exhibitis Episcopus Cameracensis non tantum institutum probauit, vt religiosæ leprosis seruirent, vt membris Christi, sed coniunctim dixit *Christo, & membris eius*: quare sublati leprosis, non continuo tollitur Christus: nec tollitur totalis instituti causa, sed manet prima charitas, & ministerium per exercitia vitæ religiosæ Christo impendendum, & contemplatio Magdalenæ, quæ optimam partem elegit: cessante, quoad Christi membra, actione Marthæ, adeoque potius dicendum est, quod post mutationem status monialium magis dignum deinceps traxit ad se minus dignum, *c. unic. de consec. eccl. in 6.* vt leprosi quidem non minus quam antè curarentur; sed ipsæ religiosæ præcellentiores remanent; nec iam quasi leprosoforum causa dumtaxat haberentur.

Prout diximus ideo hospitalia religiosorum excepta esse à dispositione *d. clem. quia contingit*, adeoque decreto Concilij Tridentini, vbi administratores, non perpetui sed triennales constitui tantum possint: dum contra hoc monasterium perpetuum est, neque moritur.

11. Et ex bonis attribueret aliquid.

12. Tanquam in rem bonam.

13. Non tamen cum res vt est relicta obtineri potest.

14. Quia pro lege est vltima voluntas.

15. Caducæ legati pji in causam proximam vertendi politia facta.

16. Non cessare hic causam totalem cessantibus leprosis, exstantibus religiosis.

17. Regularia hospitalia excepta à c. 8. f. 25. Conc. Trid.

tur: perpetuam administrationem habet; nunquam triennalem, præsertim attentâ etiam Cardinalium declaratione suprâ relata.

18.  
Vt Clementina  
constituit.  
infit decretum  
Trid.

At, inquit, non influit Clementina in hoc decreto Concilij quoad §. *quod si hospitalia*: quoniam Clementina illum casum non expressit: at verò satis expressit Clementina de quo genere hospitalium disponderet; excepitque ea, quæ sunt religiosorum; etiam latè significatorum. atqui Tridentinû in d. §. *quod si*, loquitur de eo genere, de quo Clementina ibi innouata, dum ait, *quod si hospitalia hæc*, relatiuè ad ea, de quibus Clementina: vt huiusmodi relatio includat tantum ibidem inclusa, excludat ibidem excepta.

19.  
Quid ergo  
in regula-  
ribus Trid.  
statuat.

Sed aiunt Tridentinum se explicat in §. *itaque si prædicti omnes & singuli cuiuscumque Ordinis & religionis, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, ubi viget regularis obseruantia &c.* ubi satis innuit etiam in regularibus se loqui: ita quidem est in personis regularibus; non tamen in rebus, & hospitalibus ipsis regularibus. nam Tridentinû, prædicti, inquit, omnes personas significat, quæ vt dixerat antè, *hospitalia in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum &c.* obtinent. *hospitalia*, inquit Clementina, *militarium Ordinum, aut religiosorum etiam aliorum &c.* & quorum tamen hospitalium rectoribus &c. alia de hospitalibus, alia de rectoribus disponendo.

Deinde agit Tridentinum in eo §. de monendo & cogendo per censuras: ubi iurisdicctio requiritur, quæ in subditis Ordinario dici posset esse prompta; In regularibus exemptis, vt sunt plerique, non æquè. sed ad causam leproforum, bonorumue diuersionem quid intereat administrantes Ordinarijs, an regularibus subsint. cur quod an his, non in illis obtineat præsertim cum ibidem exemptioni dero-

getur. nisi quod foris alius pins vsus quærendus non fit; qui intus habetur in monasterijs, præsertim ubi viget regularis disciplina?

Addit autem ubi viget regularis disciplina: quod tum Superiori Ordinis ea cura incumbat imprimis: & Clementina à Tridentino innouata, regulares debitam hospitalitatem negligentes per superiores, inquit, *eorum archa distributione cogantur*: eodemque modo Tridentinum §. 21. c. 8. emendanda, in monasterijs, quamuis exemptis, vt non viget regularis disciplina, committit Episcopis: in ijs, ubi viget; Superioribus Ordinibus vt liquet hunc §. non ob stare, quominus decretum Concilij intelligatur de ijs hospitalibus, de quibus Clementina, cui inhæret, refert, sequitur, innouat.

Vrgentur & alia verba Tridentini, *hospitalia in quemcumque titulum concessa, vel si ecclesie parochiales hospitalibus forte vnita, aut in hospitalia erecta, & personis in administrationem concessa sint*: sed nullibi in his verbis de regularibus: neque leprofaria hæc propriè vnita cuiquam est; sed status antiquus personarum famulantium in regularem mutatus. & denique quemcumque sensum ea verba habere possint, tamen restringuntur per verba relatiua mox sequentia; *in hac constitutionem Concilij Viennensis, quæ incipit, quia contingit*: quæ, discretè hospitalia religiosorum excipit.

Nec tantum religiosos excipit in propria significatione dictos, de quare mox pluribus, sed etiam latè, de quibus quæstio, sunt veri nominis religiosæ, dum d. Clementina quia contingit excipit hospitalia militarium Ordinum, & religiosorum aliorum, vocabulo latè accepto, tum propter regulam 15. de regul. in 6. *odia restringi, & fauores congruit ampliari*: tum propter vocabulum aliorum, quod connectit ea quæ

quæ eiusdem quasi sunt generis, adeoque religiosos etiam latè sic dictos, quemadmodum militares, præsertim coningati, lata admodum significatione sunt religiosi. quare & illi intelligentur, qui religiosi sunt, quamuis non à Sede Apostolica positivè probati; præsertim non Mendicantes: qui soli ex importunè etiam confirmatis in c. 1. de religiof. dom. in 6. in princ. inter non probatos ibi sunt extincti. Religiosi, inquit Spigelius in lexico, nostris propriè dicuntur, qui paupertatem, obedientiam, castitatem perpetuam Deo vouerunt, sed & ampliori significatu hi accipiuntur, qui aliquid ex illis votis obseruati, vt hospitalarij, & templarij, sicut ergo huiusmodi impropiè dictorum religiosorum militariù hospitalia non licet euertere; sic nec aliorù, qui non omnes solemnes notas religionis habent.

Denique Pius V. 15. kal. decemb. 1568. statuit, vt congregationes omnes in communi viuientium, cum distincto à sæcularibus habitu, extra votum solemne religionis, teneantur eligere vnã ex religionibus approbatis, quam profiteantur. electa, inquit, vna sub qua de gant ex regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius Capituli consenserit, trium votorum substantia- lium professionem regularem intra mensem solemniter emittant, & in eam ipsi, quàm illam deinceps ingressuri atque professuri, perpetuum ferant Altissimo famulatum. regulam approbatam assumere nolentes intra annum, iubet eijci. quod si ergo hæc domus nõ fuisset religionis approbata, Superiores nec tam ignari, vt nesciuissent, nec tam ignaui fuissent vt noluisent hæcenus obedire Sedi Apostolicæ; & præcepto d. bullæ iam pridem editæ. Deinde pridem de illis pronunciauit Episcopus Cameracensis; quarum nota est deuotio, & religio, inquit, approbata: Item iugum eis imposuimus Ordinis. Item viuunt sub regula S. Augustini cum tribus, oris: Item profes-

sa canonicè regulam S. Augustini: Item, diuinis vacent obsequijs: Item, velata sint, seu velum fuit ijs iam olim datum: quod à primordijs ecclesiæ signum fuit voti solemnitis. c. virgines. 20. q. 1. Tertull. lib. de velandis virgin. tesseram & characterem virginum vocat Hastenius Disquis. mon. l. 5. r. 9. d. 7. describit que quod probationis, professionis, consecrationis, &c. quæ omnia vocabula nec congruunt ijs, qui simplex tantum votum habent; sed qui solemne, vt c. nullus. 19. q. 3. canonicorum regularium professionem, canonicam vocat.

At, inquit, data est illis olim ab Ordinario regula S. Augustini: at hoc non sufficit: quia c. vt. x. de vel. dom. coniunctim regulam, inquit, institutionem accipias de approbatis: vt non videatur regula sola sufficere, sed institutiones approbatæ requirantur, vt institutiones hic dedit Ordinarius nõ approbatas à Sede Apostolica, sed suas. sed error is est, vel enim synonyma sunt ea verba; vel dictio, &, coniunctiua intelligenda est pro disunctiua. siquidem quædam religiones approbatæ regulam dumtaxat ab origine habent, non alias constitutiones à Sede Apostolica approbatas: aliæ regulam non habent, sed institutiones aut constitutiones tantum: vt religio Carthusianorum, & Societas Iesu. vnde etiam Conc. Trid. s. 25. de reg. c. 16. Societatis institutum vocat; non regulam: & tamen quis ideo neget Societatem religionem, seu Ordinem esse? quare Nigrionius in Comment. in regul. commun. Societ. relatus ab Auberio Miræo in forma institutionis canonicorum in notis eam regulæ institutionum, & constitutionum acceptionem rectè & latè deducit. Vide & Hastenium disquis. monast. lib. 1. d. 2. & 3. & Ioann. Andræ in c. 1. de religiof. dom. in 6. in simili quaerit, an diuersa sint religio & ordo? qui effectus sunt aut nascuntur ex regula, & institutione: vt non tantum

25.  
An præter regulam requirantur aliæ institutiones à Sede Apostolica approbatæ, ut dicantur vera religiof.

24.  
Quid Pius V. in his exigat?

tum ordo approbatus, sed & religio esse debeat? & ex eadem decretali recte deducit pro ipsa illa accipi. vt certò dicendum sit sufficere susceptionem regulæ, aut instituti approbati. vt in *perniciosum*. 18. q. 2. vt aliquæ sint sanctionales non aliud requiritur, quàm vt secundum regulam Benedicti, Basilij, aut Augustini viuant. quod si accedant aliquæ fundatorum, aut Episcoporum ordinationes; fundatorum voluntas pro lege est. *c. vltima*. 13. q. 2. & aliàs vtile per inutile non vitiatur. tamen nec Ordinariorum inutiles dici oporteat ordinationes. imò Gregorius in *c. cognouimus*. 18. q. 2. *Episcopo loci, inquit, cura sit monachorum causas, vtilitatemque disponere.*

Vnde multi in his locis sunt Episcopi, qui in monasterijs foeminarum sibi subiectis non tantum initio dum fundantur, sed & quoties ab eis visitantur, si visum eis sit, non tantum statuta & ordinationes eis præscribunt, sed etiam formulis professionis quidam interferunt, vt præter castitatem, & paupertatem, obedientiam spondeant superioribus regularibus non tantum, sed etiam ipsi Episcopo: cum tamen hanc nulla, quod sciam, regula approbata vouendam præscribat, & toto genere differat obedientia, quæ Episcopo debetur, ab ea quæ regularibus Superioribus. hæc votiuæ est, secundum regulam; & ex voto promanat: illa ex ecclesiæ canonibus tantum, & ex hierarchico Episcopi officio. hæc quasi priuati iuris; illa publicæ potestatis est. *101. tit. X. de maior. & obedient.* neque tamen quisquam dixerit propter huiusmodi additamentum omnes professiones vitari.

Imò, vt mox citauimus; Gregorius in *c. cognouimus*. 18. q. 2. *Episcopo loci, inquit, cura sit monachorum causas, vtilitatemque disponere, illorum autem competentem, regulari debet mo-*

27.  
Iure per-  
mittitur  
Episcopis  
illa regula-  
ribus dare.

deramine disponere, fundarique eius autoritate debent noua monasteria congregationesque. *c. de monachis. c. cellulas. c. nullus*. 18. q. 2. ad eum pertinet *Monachorum disciplina. c. Abates. c. monasteria ibid.* ita quidem vt si locus aliquid præter regulam exigeret, statui illud, ordinarique ab Episcopo possit, & debeat. regulari moderamine disponi monasterium nouum ab eo permitti, seu probari. *d. c. cognouimus. d. c. de monach.*

Iterum negant institutionem esse probatam pro religiosis vtriusque sexus, in eodem loco colantur tantibus: quod ea forma ecclesiæ Romanæ sit ignota: sed ignota non est: at in VII. Synodo, Concilio Agathensi, atque aliàs duplici huiusmodi monasteria separari iussa sunt. *c. desinimus. c. in nullo. c. monasteria*. 18. q. 2. non vt soluantur monasteria, & religiosi in mundum eiciantur, *c. peruenit in fin. c. vlt.* sed vbi essent plura, in his monachæ, in illis monachi collocentur: vbi vnicum, *religiosus Episcopus, inquit, d. c. in nullo, mulieres quidem in suo loco manere studeat* (vt hic est habitum) *monachos autem aliud monasterium adificare cogat: nec additur quidquam de noua eis vterius institutione danda. ecce quantum absumpti isti canones ab eo, quod hic intenditur. quinimò in d. c. de finibus non extirpatio huiusmodi duplicium monasteriorum, sed reformatio præscribitur. ad eum ferè modum, quo sonant statuta cætera horum monasteriorum, cum in illis adhuc esset vterque sexus.*

In summa, huiusmodi cohabitatio non inficit regulam, aut institutionem; quo minus veri sint religiosi ita cohabitantes; & manent tales; sed separatim debeant, propter insidias diaboli, inquit *d. c. monasteria, aut propter oblationes hominum collocari: non autem noua vterius regula, aut institutio separatis danda est, nec id vili canones requirunt.*

Qui-



Quinimo regula à Saluatore S. Birgita dictata, vt ait Breuiarium Romanum, & pluries à Sede Apostolica approbata, duplicia monasteria, muris tamen suis & claustris separata admittit. & c. *perniciosam*. 18. q. 2. etiam canonicos viros & foeminas in ecclesia sociari vetat, quod vsus tamen in superiori & inferiori Germania multis in locis retinuit. & verò nosocomia Belgica olim pleraque fuerunt vtriusque sexus. vt hæc cum leprosijs eandem obiectionem patiantur, neque cedere debeat cacabus olle, sed in pari causa melior sit conditio possidentis; etiam incerto, imò nullo titulo, quanto magis & iusto titulo, & confirmatione Apostolica? vt à monasterio leprosis feruiente auferri non debeat, quod detur nosocomio.

Nota, inquit Sabarella in *Clement.* quia contingit de *rel. dom.* ista quatuor equiparari: ius commune; statutum in fundatione appositum; consuetudinem præscriptam; & priuilegium. & id satis probat d. *Clement.* vers. vt ij ad quas. quantum ijs deroget in *fin.* §. *pen. ibid.* vt consuetudo quater centenaria sufficere debeat ad hanc regularium reputationem; præsertim vbi contrarium non demonstratur.

Quod si is sensus ecclesiæ Belgicæ hæctenus fuisset, multa hinc sunt hospitalia vtriusque sexus, vbi eadem ferè, quæ hinc obtinent: & aliquibus quædam olim locis lapsæ sunt, quibus alioquin melius fuisset nubere quàm vri; nec vllæ tamen permissæ sunt nubere: imò de factò hæreticorum tempestate nuptæ, deinde separatæ, ab hæreditatibus vbique sunt exclusæ, opinione communi, & iudicium sententijs pro veris religiosis sunt habitæ. quod Belgicæ ecclesiæ iudicium semper fuerit, tales solemniter esse professas, & matrimonij, proprietatisque incapaces.

Adeoquæ cum hic sint infinita monasteria ab Episcopis sic insti-

tuta, inferre oportet tunc illas constitutiones nondum fuisse receptas, vt aliàs non præsumatur. *Menoch. de præsumt. lib. 2. t. 2.* aut tentam ab Episcopis veterem auctoritatem, communi vsu & more firmatam; *Azor. Institut. mor. p. 1. l. 1. c. 23. q. 6.* seu potius iure eis competentem, & ante Concilium Lateran. & Lugdunen. nondum Sedi Apostolicæ referuatam, ob quam causam institutos ante illud ordines negat approbatione illa egere c. 1. §. *sanè. de relig. dom. in 6.* vbi sine illa solidum illorum statum vocat. aut denique (quod verum est) assumpta solum regula approbata à Sede apostolica, inductam esse religionem approbatam, tanquam illius effectum.

Si quidem, vt dictum est supra, regula approbata facit religionem, & monasterium approbatum: eaque citra potestatem pontificiam est immutabilis: aliæ extra regulam constitutiones mutari possunt: sicut & in principio statui, siue ab Ordinarijs, siue à Superioribus, siue à Capitulis Ordinum. *Nigron. vbi sup. & quos citat. & Azor. inst. mor. p. 1. l. 13. c. 11. q. 2. Hæfen. d. disq. 3. n. 3. alijque passim.* quod autem à doctoribus dici solet modum videntis approbatum esse debere, vt sit religio; id ipsum intelligunt de ipsa regula, aut instituto cuiusque Ordinis. c. *regula. dist. 3. Nigron. vbi sup.* In secundarijs autem ordinationibus, & statutis cuiusque domus auctoritatem Ordinariorum, Superiorum, aut Capitulorum Ordinis Concilium Lateranen. aut Lugdunen. d. c. *ne nimia. X. de religios. dom. & c. 1. eod. in 6.* nullo verbo imminuit: aut huiusmodi secundaria statuta, aut Ordinationes vllatenus vetuit. vt idem monasterium improbari non debeat, quod præter regulam approbatam aliquas ab Ordinario, aut fundatore leges acceperit. vt clarè admodum dicit Walterus Abbas in *litteris suis an. 1281.* huic domui datam regulam

iones illæ hic olim non publicatae, receptæ, aut regulam approbatam Episcopalia statuta non impediunt.

32. Illa immutabilis est, non ista.

29. Vetus im-memorialis præscripta consuetudo approbationi æquivalet.

30. Falsim pro religiosi habitæ hic illiusmodi personæ.

31. Aut ergo constituta.

Q lam

lam S. Augustini, & insuper statuta Episcoporum Camerac. & inter ea unum, de numero. additque hæc etiam ab Urbano IV. confirmata: & propterea se, quamvis Prouisorum domus, mutare nihil posse. ergo à G. Episcopo Cameracen. an. 1220. præscripta sunt regula, & tria vota substantialia, paupertatis, castitatis, obedientiæ: in quibus utitur, verbo *profuentes*: quoad statuta verò, accuratè alijs verbis, eorumque, inquit, *que auctoritate nostra seu successorum ibidem ordinata fuerint, obseruantiam promittentes*. quæ verba ibidem accuratiùs regulam, & vota substantialia distinguunt ab ordinationibus, quàm vt admittant vllas cauillationes. accedit quod in emissione huiusmodi votorum datur à sacerdote velum professis, eaque fit in manu præfectæ. *iuxta c. pen. 20. q. 1.*

33.  
Regula & modus viuendi militarium, vt debuit à Sede Apostolica approbati, an non ita & hic leprosis seruientium?

Quod aiunt Ordines militares, quamvis assumpta regula approbata, futuros non fuisse religiones approbatas, nisi sub eo statu à Sede Apostolica fuissent approbati: & pari modo hic non sufficere, vt assumpta sit regula S. Augustini, nisi simul institutum seruienti leprosis coniunctim cum regula à Sede apostolica probetur: iudicialia scilicet, & practica confirmatione; quæ pus esse declarat Suarez *tract. de virt. & stat. relig. 3. l. 2. c. 15.* sanè argumentationem sophisticam continet, coniunctorum & diuisorum.

Si quidem authores istorum Ordinum militarium nouam religionem inuenire voluerunt, & præter regulam Ordinis, pecularia vota & præcepta instituti primaria, & instar regulæ; seu quæ simul complexa nouum institutum facerent; quod, vt tale, eguit apostolica probatione: cæterum si eidem authores regulam tantum approbatam assumissent, vt regulam; reliqua vt secundarias & mutabiles ordinationes; si hæc consistereat cum præscriptis alicuius

regula; cognoscente & permitte te Episcopo, *iuxta d. c. de monach. poterat fieri monasterium, & religio approbata: sed quoniam huiusmodi militaria instituta cum regula non consistunt; & tamen primariò intenduntur, egent apostolica probatione. vt Alexand. IV. Ordinem militarem S. Lazari, bullâ que inter illius primæ exat in bullario, & vt sonant verba, illis regulam S. Augustini confirmauit: cum regula S. Augustini simplex confirmatione non egeret. c. 1. de religiof. dom. in 6. sed quatenus contrariatur militiæ: & sic ipsius institutum pro parte illa commixta tanquam noua religio, eguit apostolica probatione.*

Mutari, inquam possent hæc ordinationes: sed in quantum sunt ordinationes: cæterum quæ descendunt ex foundationibus patrum, ea mutari omnino non possunt. *d. Clement. quia contingit. & de Sabarella n. 11. nisi forte fundatio executionem habere non possit. c. nos quidem. x. de testam. c. vii DD. & in d. Clement. quia contingit. d. A. de res. si forte. f. 25. Trid. & quidem in vltim proximiorem institutioni tunc fit mutatio. d. c. 8. f. 25. Trid.*

Quod si ergo iustum olim hic visum fuerit viros dimittere, Episcopus religiosas mulieres in suo loco manere studuit; quamvis circa alia aliquid mutandum foret, quod secundarias ordinationes spectat; circa mulierum tamen mansionem mutandum nunc nihil est. *d. c. in nullo. 18. q. 2. vt omittamus liberum arbitrium nullatenus esse in hospitalibus fundationis Regiæ. de quibus latè Borhof. de iure eccles. vniuers. l. 2. de hospital. c. 11 n. 56. vt est hoc, quatenus sum. datum est à Regis prædecessoribus: nec in ijs, quæ sunt sub protectione etiã regiã immediata. Trid. f. 22. c. 8. vt & hoc esse creditur.*

Item vt arguit, Episcopo non competere ex vi sui muneris, etiã si non adesset prohibitio, approba-

re religionem, solemnizando vota: inhabilitare enim personam ad matrimonium subsequens in vniuersa ecclesia, & efficere vinculum religionis, & religiosi, Pontificis summe potestati competit. Suarez *vbi sup. c. 17. n. 25 & seqq.* ex quo ibi n. 27. dicunt nō improbablees veteres ordines ante confirmationes apostolicas vota simplicia tantum habuisse, non irritantia matrimonium.

Sed periculosa esse hæc doctrina videtur, quandoquidem nec hodie quidem confirmatione iudicialia & practica, quam, vt aiunt, Suarez requirit, illi veteres Ordines à Sede Apostolica sunt approbati: sed tantum illos Ordines, quorum institutio Concilium generale præcessit, in solido statu Pontifices voluerunt permanere. scilicet eo iure quo antè, tacito Sedis apostolicæ assensu, ex Episcoporum autoritate, & communi vsu, ac more ecclesiæ suffultos, ita loquitur c. 1. *de religiof. dom. in 6.* sequeretur ergo; si vera foret doctrina huiusmodi, nec hodie solemnia esse vota in religione S. Anthonij, Benedicti, Basilij, Augustini, nec religiosos matrimonij incapaces, quo nihil sit absurdius. & propterea sanius Malderus *de iustit. tra. 7. 10. c. 5. d. 3. §. dico quinto* ex, inquit, *irritans matrimonium post solemniam, aut ritè facta vota monastica, ab Apostolica traditione descendit, & semper in ecclesia fuit.* quod exinde multis probat.

Quare vi Apostolicæ traditionis huiusmodi vota solemnia etiã olim fuerunt, seu ex communi vsu, & more ecclesiæ, vt vult *Azor institut. mor. p. 1. l. 11. c. 23. g. 6.* aut etiam vi potestatis episcopalis nondum facta Sedi Apostolicæ reservatione approbationis nouæ regulæ, ex communi doctrina, qua dicitur Episcopum vnumquemque in sua diocesi omne id posse, quod Pontificem in orbe vniuerso: ijs exceptis, quæ in signum supremæ

illius potestatis expressè, & specialiter sunt reseruata, aut de quibus in contrarium per sacros canones non sit statutum. *Cucob. in f. maior. de off. legat. n. 103.* alioquin certum est Episcoporum statuta intra suas dioceses coarctari, vt talia: c. 2. *de consuet. in 6.* quamuis qualitates subditis impressæ eorum vbique comitari possint. vt Ordo clerico aut sacerdoti collatus, eum vbique sequitur, matrimonij incapacem facit, vt & matrimonium secundum solemnitates loci celebratum, extra locum sequitur, & incapacem alterius coniugij reddit, durante primo. c. 1. *X. de sponsal. & matrim.* & pariformiter dicendum est, vota olim ritu prisco ecclesiæ celebrata, *de quo Malderus & Azor vbi supra.* & plenius *Hafienus disquis. mon. l. 4. t. 8. d. 1.* veros fecisse religiosos, & incapaces matrimonij, etiam extra locum vbi iuxta illius solemnitates emissa fuerant.

Denique etiam vetitæ sunt hodie omnes suppressiones, dimembrationes, & applicationes *per reg. 21. Cancellariæ*, nisi auditis partibus, verificatis causis, secundum præscriptum d. regulæ 21. c. 6. *f. 7. c. 9. f. 14. f. 24. c. 13. Trid. Neg.* porro partibus inauditis per provisionem aliquid decernere permisum est: multò minus remotâ appellatione exequi, quasi id concedere videatur bulla confirmatoria Concilij, & Sanctio Clementis VIII. 1600. *incip. ad tollend.* quia illa non aufert ius naturæ, ne quid aduersus inauditum statuatur, & loquitur de executione decretorum Concilij. at hic negamus eo in casu nos esse, sed Episcopi decretum esse dicimus, non Concilij: atque prætextum Concilij perperam adductum, ac magis præpostere imploratam plenitudinem potestatis sæcularis, quam in rebus ecclesiasticis non agnoscit ecclesia. c. *bene. d. 96. c. 1. X. ne Sede vac.* vbi in negotio monasterij Rex Hungariae,

Episcopi, & Primates supplicarunt Papae, non suo Marte statuerunt, sed nec eo tempore exauditi, sed in aliud reiecti.

adhiberi debeat Ordinarius. *Trid. d. c. 9. s. 22.*

RESPONSVM III.

De iure patronatus.

Hospitale olim exemptis uniuersum non fieri exemptum.

RESPONSVM I.

De aduocatis.

Religiosorum exemptio hospitalis, eiusque sacellum ipsius uirtutem non fecit exemptum. *c. ex ore. in fin. X. de privileg. c. volentes. in fin. eod. in 6. clem. quia contingit vers. contraditores. de religio. dom. quam etiam innouauit Concilium Trid. s. 2. c. 8. & 9. quibus in locis unio, exemptio, privilegium, prescriptio, vel consuetudo immemorialis, non obstat declaratur, quo minus visitari hospitale ab Ordinario, & rationes exigi possint id adeoque hic obtinet, quamuis ab animis exemptio religiosa sint in pacifica possessione hospitalis, sacelli, & bonorum, sine Episcopi visitatione, aut rationum exactio. qualem allegationem in c. cum ex officio. X. de prescrip. nullam Innocentius III. reputat. cum contra visitationem, inquit, non possit aliquo modo prescribi. liquidum autem hic est ante unionem hospitale & sacellum, utique Beginarum, fuisse sub Ordinario, ut & erant Beginarum. *c. ratio. de relig. dom. in extrau. comm. in verb. diocesani locorum & parochialium ecclesiarum rectoribus reuerenter obediunt.* quamuis etiam tunc esset sub patronatu Abbatis Ordinis exempti. patronatus autem ubique admittit, imo fere exigit Diocesani institutionem, aut superioritatem. *tot. tit. de iur. patron. Conc. Trid. s. 1. q. c. 1. 2. ut ne quidem, si a laicis ad exemptos peruenerit, ius Episcopale minuat. c. cum sacellum. X. de de iur. patronat. quin, et si rationes ex consuetudine aut privilegio alijs reddi debeant, etiam**

Utrum non sit nouum male a laicis haberi ecclesias, & clericos; *c. non minus. X. de immunitat. eccles. c. clericis eod. in 6.* sed id tradat, inquit, antiquitas Concilio Carthaginensi V. iam olim visum est, ab Imperatoribus postulandos esse defensores: ne fatigaret ecclesia. *c. ab Imperatoribus. 23. q. 3.* sicut defensores ciuitatum inuenti sunt ad propulsandam potentiorum iniuriam. *l. defensores. C. de defensor. ciuitat. ex hac origine prodierunt aduocati ecclesiarum.* *Erasm. Chotier tract. de aduocatis. l. 1. q. 7. Burgund. ad consuet. Fland. tract. 8.* sed quoniam quod ad defensionis subsidium est inuentum, a quibusdam ad depressionis dispendium est retortum; *prohibemus, inquit Concilium Lateranense in c. in quibusdam. X. de pen. ne patroni, vel aduocati, seu uic. domini de cetero plus usurpent; quin reperiatur in iure permittum.* reperitur autem in iure oihni permittum praeter antiquos, inquit Lucius III. *in c. praeterea. 23. X. de iur. patronat. & moderatos redditus, ab Episcopis institutos; seu ut interpretatur Paternormitanus & alij ibidem in erectione reseruatos.* Sed, ut Saluianus *l. 5. de prouidentia Dei* ait quosdam, ut onus excutionis euadant, tradere se tuendos, protegendosque maioribus, dedititiosque se diuitum faceret: hos autem saepe hac lege uerti pauperes uideri, ut spoliunt: Ita Gail *l. 2. obs. 54. n. 6.* aduocatus uelatus (inquit) non collectare suos uelatos; sed pro uiribus defendere: inque protegere debet. quia ius protectionis nullam tribuit subreptionem. *est in ea re quoad adque pernicitiae erretur: & in aduoca-*

1. Eoque visitari potest ab Ordinario.

2. Visitacioni nulla obstat prescriptio.

3. Patronatus a laicis aut alijs ad exemptos delatus iura Episcopi non minuit.